Crac. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Phil. Ord.
1658. 13 Aprilis 1.

Radziminski Victorini: Laurea corona

2.

LAVREA CORONA.

Quam

VENERABILIBVS
Primæ in Artibus & Philosophia Laureæ
CANDIDATIS

EXCELLENTISSIMVS VIR AC DOMINVS

D. CHRISTOPHORVS
STELLANOWIC
COLLEGA MINOR

In Perauguſto D. Iagellonis Lycæo reuireſcentem,
deterſâ ferrei temporis rubigine contulit

ET

VICTORINVS RADZIMINSKI,
Ordin. Canon. Cuſt. SS. Sepulchri Hieroſol. in
Conuentu Miechouien. Profeſſus; eiusdemque Laureæ
CANDIDATVS.

In Aprico primi Veris Theatro præſentauit

Anno D. 1658. Die 13. Aprilis.

CRACOVIÆ.

In Officina Viduæ & Heredum Franciſci Cæſarij S. R. M. Typ.

In Arma Ordinis Canonici Cust. SS. Sepulchri Hierosolymitani.



O Sanctum Solymæ prolis cur Stemma rubescis?
Christus ait moriens corpore nudus erat.
Quis te purpureo cocco vestiuit Apelles?
IESV; sanguineus me quoque pinxit amor.
Ergo rubere placet Rubicundi ò gloria CHRISTI?
Victoris decet hæc arma rubere DEI.

Florianus Bartlinski eiusdem
Lau. Cand.

AD

Admodum Reuerendum in Christo Patrem

D. STANISLAVM DZIANOT

S. Th D. Ordin. Canonici Custodum SS. Sepulchri D. Hierosol. Conuentu Miechouien. Generalis Custodem Vigilantissimum S. Heduigis Præpositum Prothonatarium Apostolicum.

FEstinat in occursum Tuum A. R. P. tenuis ac exigua opella mea, & inter Festiuos gestientis Almæ Matris Nostræ Academiæ applausus, maximam Tibi hodiernæ Solemnitatis transmittit partem. Decet enim indefessum Tuum in promouendo cultu Diuino Zelum, & excitandis Diuæ Tutelaris ruderibus insomnem solicitudinem hac hodierna Laurearum Nostrarum redimire tesserâ: decet inquam Celebre in Sancto Ordine Nomen Tuum, etiam in Academici Senatus Areopago clarescere. Tibi namque Nostri profectus primitiui fructus non solum hæreditario, sed & paterno iure debentur, qui Vetustissimæ Ordinis nostri insistens consuetudini Academicis erudiendos disciplinis, & coronandos Laureis Ordinis tui FF. tradidisti, vt sic & Diuino honori incrementum, & S. Matri religioni decorem, & infractis laboribus tuis solatium prouideres. Enituit certe hic tuus in propagando Ordin. Sacri bono zelus, cum Tu A. R P. deplorandis hisce temporum iniuriis multiformi hostium crudelitate in exitium Nostrum efferuescente non modo saluti tuorum

prudenter consuluisti, verum etiam quasi Noui Solis lumen post inuisam mæroris tempestatem munificentissimis Regiæ Clementiæ dotatus gratijs Nobis non sine ingenti lætitia affulsisti. Fortis certè appellandus Atlas qui non iam illa aurea temporum securitate, verum inter tot hostiles tumultus post deplorandam bonorum & Ecclesiarum iacturam, post tot discrimina rerum tanto oneri ferendo non succumbat. Et quoniam in Celeberrima D. Iagellonis Aula Labores Nostri Philosophici die hodierna prima coronãtur Laureâ; quorum Tu Adm. R.P. singulari patrocinio tuo in nobis promouendis non exigua pars videris: idcirco applausus huius Pòëtici Te Patronum fore decreuimus. Si enim superstitiosa Antiquitas puteos ex quibus hauriebat aquas coronare non intermiserat? nos à Tuo A. R. P. patrocinio inundantes beneficiorum plenis alueis dum haurimus fructus, hacce debitæ gratitudinis vincemur obseruantia aut superabimur officiis? absit. Quod non solum amor & propensio in Vigilantissimum Custodem pietas in exemplarem Superiorem gratitudo beneficiorum erga Patronum, sed etiam Tuæ laude immortali dignissimæ exposcunt Virtutes, quibus Vigilantissimus ad Sepulchrales Christi excubias Custodum Custos mediis temporum tenebris luces & resplendes. Accipe igitur A R. P. Custos hoc grati animi Memnosynon Paterno beneuoloque affectu, & eo quo, semel cæpisti fauore semper alumnum Tuum prosequi non desistas.

Hoc vouet &

precatur

Fr. Victorinus Radziminski C. M. P.

D. O. M.

Auguſtißimæ Cælorum Reginæ
Diuisquè Tutelaribus:
Ode Tricolos Tetraſtrophos

ÆTerne mundi Conditor ò Deus
Cui omne viuens poplite ſubdito
Curuatur Vnum Tequè Trinum
Ore pio reſonat Monarcham
Et Tu Supernæ delicium rotæ.
Proliſque Virgo Sydereæ Parens
Intacta ſemper Lechicæque
Dulce iubar columenquè Matris
Tum Tu Lycæi gloria ſplendidi
Splendenſque vitæ norma piiſſimæ
CANTI IOANNES Sancte Doctor
Præſidium Pater & Patrone
Et quos ſerenat ſplendor Olympicus
Sancti Dynaſtæ Lechica pignora
Germen ſecundetis nouellum &
Æthereo grauidate rore.
Poſt tot Gradiui prælia bellaque
Poſt mille mortes vulnera ſaucia

Trucis Leonis quem ſuperba
Euomuit Thetys à Boote.
Fæcunda Matrix has Academia
Veſtro decori dedicat hoſtias
Digna eruditæ quas Sophiæ
Nunc redimit graduatque Lauro
Corona veſtris iſta Trionibus
Debetur æque, cingite Tempora
Æterna; Cæleſtes Senatus
Et manibus geritore Sanctis
Noſtris coronis ludite ludite
Aras ad Agni currite feruidi
Vibrate Flores de caniſtris
Dextra ferat nebulas odoris
Prædas feroces in Thraciæ plagas
Procul fugetis, aurea ſæcula
Reducat æther pax opima
Sarmaticis reuireſcat oris

A D

Clarissimos & Excellentissimos DD. Examinatores.

QVis mihi Doctorum penetralia laude Virorum
Audeat & lepidis concelebrare metris
Non ego Castalijs immersi labra fluentis
Ornauit me hederis nulla Camæna suis.
Ast neglecta Chelys numeris resonare vetustis
Incipit & læto tangere plectra sono.
Vt Victor Getici post signa ferocia Martis
Festiuum læto concinit ore melos
Vel nautæ Zephyris appulsi littoris aluo
Cælitibus soluunt Sanctaquè Vota DEO
Sic & nostra cohors ter trinis candida Lauris
Læta triumphales fundat ab ore sonos
Et tibi trina phalanx Dux sacri docta laboris
Aternis spatijs iste feretur honos.
Per vos inuenit studij spes nostra coronam
Temporibus nostris Laurea serta datis.
Per Vos succubuit titulis fallacibus error
Nos Sancto induxit docta Minerua choro
Ergo triumphali transcendat Sydera curru
Fama: sonent doctos sæcula longa viros.

Admodum Reuerendo Patri

D. ALBERTO NVCERINO

Artium Magiſtro & Philoſophiæ Doctori: Ordinis
Canonici Conuentus Miechouienſis Profeſſo.
Præpoſito Wrocimouienſi.

DOcta Parnaſsi properes caterua
Eia feſtinos pede ſiſte greſſus
Rite concordi mediteris almum
Pectore carmen
Tuquè Sacratæ moderator Aulæ
Rector excelſi ſapiens Olympi
Linque plaudentes tibi rite chordas
Pulcher Apollo
Ille qui primum redimitus almæ
Matris excelsâ renitens corona
Laureandorum generoſa metro
Auſa ſacrauit:
Ille qui poſt hâc Vigilans caducum
Ens Stagyræis celebrauit aruis
Faſcijs auſus ſapientiæ arctam
Cingere mentem
Poſt vbi docta Satur à Minerua
Intulit noſtro pretioſa clauſtro
Artium Doctor Sacer & Magiſter
Dona Sophorum

Hic Se-

Hic Sepulchralis celebris Lycæi
Lector & Rector Solymæ iuuentæ
Principi Regni Carolo Maniplum
Obtulit vltro
Impiger nescit spatijs teneri
Otij solers animus recurrit
Eruditorum sociæ cohorti
Basia figens
Ergo felices numeres dierum
Orbitas & tot Nucerine menses
Cygneis velans onerosa Pastor
Terga capillis
Prende condignæ monumenta laudis
Laureatorum titulis honorum
Hospes & sospes Nucerine felix
Cresce beatus
Celsa consurgent tibi Saxa nostro
Nata de Pindo decus & columna
Ordinis Sancti cynosura fulge
Ingeniorum
Has tibi recto modulatur ore
Grata doctorum pietas laborum
Suscitat largas Heliconis vndas
Pignus amoris
Viue grandæui Mathusalis annos
Nestoris longam superes senectam,
Post det æternam tibi Rector otbis
Viuere vitam

V. & R. P. PAVLO HEBDOWSKI

Ord. Canonici Con. Miech. Profeſ.

Thure calent aræ ſertisque recentibus halant.

GEns Arabum dextris duntaxat thura beatis
Colligit; & ſuperos placat vbique Lares,
Inde Numæ & Veſtæ veneranda palatia clauſtri
Ornabant ſertis ritê comasque ſuis:
Poſt iuga Romulidum ſacris ornata coronis;
Flammiuomis fuerant: igne cremata focis.
Fors & odoriferis placatur Iupiter extis
Et diadema virens fulmina nulla petunt.
Ite procul veteris Pagani nomina cultus
Ique profana tuis Ethnica ſecta vijs;
Ecce Palæſtinis oriunda Miechouia terris
Ad Muſas Craciæ Laurea ſerta capit.
Vt Lauri Vigiles exornent buſta ſepulchri
Victorisque Dei viuida ſculpta gerant.
Ergo ſerenato Sanguis mi pectore gaude
Fundeque Cælitibus vota ſacrata tuis.
Dum Sanctum penetrale ſubis dum iuſta Sacerdos
Perſoluis Trino debita vota Deo
Ordinibus cum Te Matris nunc inſeris Almæ
Atquè capis docti Laureaſerta Sophi;
Laudum ſcande Vias; Diuinæ Præco ſalutis
Orpheus ex hinc iam ſaxea corda trahes.
Has animi dotes Docti ſtupuêre Catones
Palladis in gremio laudis honore vales
Tullius eloquij ſuadam Stagyrita latentes
Naturæ latebras dat tibi & artis opes.
Zelator Validus, Sacri Succreſce ſepulchri
Gratior Æthereis Myſta future choris.

V. D. IACOBO SIELECKI

Tibi lilia plenis

Ecce ferunt Nymphæ calathis.

Lilia cælesti ſponſo chariſsima florum
Candida Virginei ſigna colenda tori
Hæc ſuperant rubeo regalia Syrmata byſſo
His cedit nitidis candida texta fibris
Non Salomonis opes non fuluo fuſca metallo
In ſolijs regni purpura ſic renitet
Quæres quis tantum folijs donauit honorem
Auri præſidium quodque cacumen habet
Aurea namque cohors ſplendoribus excubat illis
Inſomnes ducens nocte dieque moras
Hos tibi deſpondet flores Iacobe Minerua
Et flectit Sophicis florida ſerta genis
Aurifluus Ganges ſapientia creditur eſſe
Nam iuuenes Lauri murice ſola beat.
Hæc Te Laurigerum fecit Venerande Sielecki
Eius præſidio fructus honoris habes
Ipſe mihi fandi copiam ſi porrigat Hebron
Obruar immenſi laude laboris ego
In Studijs conſtans patientia ferrea vicit
Tempora: nunc dignis condecoranda bonis,
Te Virtus pietasque vocat ſuper alta Senatus
Culmina Palladij flos peramæne chori
Ecce tibi ſacro prælucet ſanguis honore
I felix Studij callibus ingenui

V. D. BLASIO DROPCZYNSKI

Etsi non alium late iactaret odorem

Laurus erat

CEdite fragrantes Viridantiâ prata per hortos
Cedant Hyblæo nata Vireta solo.
Iam formâ certate mihi, certate venusto
Corporis arbitrio iudice: Victor ero.
Vestitus gracilis vobis est tempore verno,
Has repetit dotes, bruma nouerca ferox,
Semper Hyperboreos Laurus contemno Triones
Nec cedunt gelido Laurea membra polo
Sola Tyberianis innecto serta capillis,
A me præsidium fulmen agente Ioue:
Hisque Rebecca senex phantastica somnia pellit
Subsidijsque meis mystica signa legit.
Hoc tibi præsidium Dropczynski sorte beata
Contigit: hoc sedulâ merce laboris emis
Tu Lauro Craciæ redimitus en ecce palæstræ,
Inuidiam spernes insidiasque feras.
Conscendas igitur doctissima compita vates
Vincere perdoctos noueris arte Sophos:
Hanc Laurum redames ornes Virtutibus altis
Illius in viridi tegmine tutus eris.

V. V. D.

V. V. D. IOANNI SZYDŁOWSKI

Fraxinus Herculeæ eſt arbos umbroſa coronæ

HErculis inuicti duodeno dextra triumpho
Innotuit latis concelebrata plagis.
Fraxineis tandem Victor redimitus adorêis
Exhibuit magnis grandia ſpectra animis.
Hoc tua Szydłoui Pallas feciſſe videtur
In ſe conuertens vultus & ora Patrum.
Eſt laudis pars magna tuæ expolijſſe iuuentam
Artibus ingenuis inuigilando ſatis
O quoties Te Athleta Vigil ſuperando labores
Ornauit Pallas laudibus eximijs!
Atque triumphali præcinxit tempora Lauro
Promittens celſos poſt ſua fata locos.
Conſcendis felix excelſum culmen honoris,
Artibus Herculeis præmia digna refers.
Nunc ſtudeas Hydras infernalesque Dracones
Fortis præſidio vincere Palladico.
Per Syrtes ſtudij dum tu genoroſe meabis
Auxilium cæli vela ſecunda dabit
Semita Virtutum celebris patet ito laboris
Herculei fructus: fama ſuperſtes erit

V. D. ALEXANDRO GRABACKI

Qualis roscidulo florens Hyacinthus in horto.

EST mihi Laconicæ gentis famoſa propago
Iunonis ſpecies eſt quoque forma poli.
Flos ego purpureus Zephyri demeſſus amore,
Me ferit inuitâ pulcher Apollo nece.
Aſt mihi cædes hæc pretioſo ſoluitur auro
Sum quia Apollineus flos hyacinthus ego
Nullus Thymbræis ſic obſeruarur in aruis
Vnguento fragrat Delphica dextra meo.
Ambroſiâ nunc nunc Grabacki dignus amæna
Dulciſono iuuenis concelebrande metro
Qui genus & proauos à doctâ ſtirpe Lycæi
Enumeras Cracios non ſine laude Sophos
Quos Lauro Vigili cinxerunt iura Galeni
Iunxerunt magnis atque decore viris.
Accipe Phæbeam à nobis Venerande coronam
Inuictæ mentis ſit Stephanoma tuæ.
Confeſtim curſum ſtudii tu perge paterni
Laudandus magni dotibus ingenii:
Vera loquar Cracii votis applaude Lycæi
Iam nec Alexis eris aſt hyacinthus eris

VII. V. D. ALBERTO SWOBODZINSKI

Huc vbi flora rosas violas inspergit odorsque

PVgnabant longo quondam certamine flores
Imperium cuinam Sceptraque danda forent.
Princeps Flora potens decreto iurgia sedat
Regnum purpureis contulit ipsa rosis.
Empyreis certè flos hic processit ab oris
Sanguinei Christus quando coloris erat
Spinæ sunt artes rosa quas comitatur odore
Gratæ sunt docto semper odore rosæ
Hæc suauissima sunt morientis vulnera veris
Exitus est gracilis vita venusta rosæ.
Ecce tenes magnæ Swobodzini præmia laudis
Carpe rosas famæ symbola longa tuæ
Hoc tuus ille labor studiorum in vepribus hærens
Confert atque rosâ te redimire cupit.
Signum Martirij flos hic est atque pudoris
Swobodini Martyr Palladis esse velis.
Promittit tibi præcelsas Academia sellas
Sanctis virtutum passibus ingredere.
Polles ingenij venerandis dotibus almus
Gratior Hyblæis sit tua Suada rosis.

V.D. GASPARO STACIEWSKI

Aurea sub cælum cono porrecta Cupressus.

NAtura hoc donum gracili largita Cupresso
Integer in solidis creditur esse poris
Nulla nocent illi grandæuæ lustra senectæ,
Nullum vulnus ei nulla putredo nocet.
Hincque rotunda polis profert spectacula celsis
Spirans æternum non sine laude decus:
Nomina magnorum Cyparisso sculpta virorum,
Narrabant sæclis Martia gesta suis.
Et tibi Cupressus laudis Generose Staciewski
Laurigerum & capiti debet adesse iubar.
Opprimor excelsum cernens virtutis amorem,
Cui pretium Sophiæ non leue cura dedit.
Namque triumphanti toties spectatus arenâ.
Cæpisti ingenio præmia digna tuo
Suggestu Cyneæ, fando Platonis alumnus
Diceris & numeros emeruisse meos.
Sic quod habes virides dignissima præmia Lauros
Supponas Sophico colla benigna iugo.
Præcelsas semper conscendes crede curules
Virtutes arti iungito amore pari.

IX. V. D. FLORIANO BARTLINSKI

Ipſa tibi blandos fundunt cunabula flores.

PIerides Magni Cytheronis pignora Muſæ
Ludite nunc pulchrâ florigerâque manu.
Vati Palladico centum concedite voces
Ros & Apollineus influat eloquio.
Martia non tenui depingam carmine geſta
Exhorret mundi cantica ſacra chelys,
Sed placet inſueto Florianum pſallere plectro
Materies iuſti pulchra laboris adeſt.
Palladis edoctæ Bartlinski verus alumne
Cûi dat Laurigeram Cracia Muſa rotam.
Cingito Daphnæis tua tempora cingito ſertis
O Flos ò Cytharæ gloria ſera meæ
Floridus es creſcas ſanctæ pietatis amore
Ne extinguat ſtudium nix, tepor, algor, hyems
Laurigeræ iam nunc ſubmittas colla coronæ
Altius auguſtum perfer ad aſtra caput.
Hanc tibi magnanimi laudem peperêre labores
Hanc tibi ſudores rite dedêre tui.
O Superi ſeruate meæ noua ſerta Thaliæ
Sint iubar & mundo ſint decus Eccleſiæ.

Suauissimo Vati

V. & R. VICTORINO RADZIMINSKI

Canon. Regul. Custod. SS. Sepulchri Hierosolymitani
Primæ Laureæ Candidato.

ALEXANDER GRABACKI

eiusdem Laureæ Candidatus Amoris Symbolum D.C.

PVrpurei cum sis flos fragrantissimus horti
Plantauit Summi quem manus ipsa DEI.
Cisque Solymæum iussit vernare Sepulchrum
Quemque suo roseis corde rigauit aquis
Non equidem miror, Veris Te florida Nobis
Munera vernanti distribuisse manu.
Militiæ CHRISTI quid enim nisi grande rosetum
Ordo Sacer dici, deliciumque potest?
Sanguinei Patrum quem plantauêre labores,
Virtutum magnus quem decorauit honos;
Palladiæ Laurus, Doctoralesque Coronæ
Summorum ornantes tempora docta Virûm.
Quem toties cinxêre suis insignibus : in quo
Tam Sophiæ summus quam Theologus apex
Insignes tulerat meritis virtuteque Patres
Siue Nakielsciadas Sliusciadasue loquar.
Totque alios Cælo transcriptos: Zbikouiosque
Eloquij Sacro nectare mellifluos:
Quosque fauens decori vestro conseruat Olympus
Quos celeri sequeris consequerisque gradu
Eloquio Cytharâque potens, suauissime Vates
Mystarumque iubar Phæbigenumque decus
Laurigeræ Nobis lectissima dona Coronæ
Quod Cytharæ donant dulcia plectra tuæ
Tot Tibi vota meus Cælo gratatur Apollo
O vtinam florum flos habeare breui.

Eidem

Eidem

Fraternæ gratitudinis ergo

CYgneo Vates reſonans tenore
Gratus applauſu Lyrico ſonorum,
Orpheus: Noſtras canis erudito
Carmine laudes.
Laurei ſerti ſocius fidelis
Ore ſacrato modularis almas
Artium curas, vigiles labore
Palladis effers.
Turtur ad Veris peramæna luſtra
Nobiles Lauros numeris adornas
Nænias triſtes Suetici furoris
Pellis Apollo.
Vincis in laudes animos Virorum
Et meas pulchris numeris reportans
Stringis in laudum monumenta VICTO-
RINE Camænas.
Parce contracto cumulo ſonorum
Nòn tuas laudes recitet Sodale
Carmen: in laudem hanc memoranda plauſu
Fama perennet.

Paulus Hebdowski Can. Reg.
SS. Sepulchri Hieroſol. eiusdemq;
Laureæ Candidatus

Sub



Sub

FELICIBVS AVSPICIIS

Clariſſimi, Excellentiſſimi, & Magnifici Domini.

D. FRANCISCI ROLINSKI

Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris ac Profeſſoris Conſulis Cracouien. Almæ Vniuerſitatis

RECTORIS

Vigilantisſimi.